

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Nicolai Alardi, Pastoris Steinbeccensis, Bibliotheca Harmonico-Biblica**

**Alard, Nicolaus**

**Hamburgi, MDCCXXV**

**VD18 10490701**

Sectio I. De Antilogiis Biblicis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17504**



# BIBLIOTHECÆ HARMONICO-BIBLICÆ

## Sectio I.

De

### ANTILOGIIS BIBLICIS.

#### CAPUT I.

*De Natura & Constitutione Antilogiarum  
Biblicarum.*

I.

**V**eritatem Scripturæ Canonicae esse harmoni-  
cam & contradictionis expertem, omnes  
omnium temporum Ecclesiae Doctores  
statu minibus adamantinis firmaverunt.

(a) *Primarium enim Auctoritatis divinae* A ϱ10v,

(a) *Præter utriusque Ecclesiae PP. à B. Mich. Walthero Harm.  
Bibl. L. I. C. I. §. II. J. C. Suicero Thes. Eccl. tit. γεγονο-  
num. IV. G. Voetio sel. Dispp. Theol. P. I. p. 52. in. cita-  
106,*

εΙΟΥ, ex ipsissima monumentorum sacrorum natura depromptum, est veritas assertionum, quæ licet falsitatis, erroris, aut lapsus facile possit, accusari, convinci certe nequit. *Nihil, inquit Augustinus Lib. II. de moribus Manich. Cap. XVI. apud Ethnicos certum est, nihil constans, nihil rationabile, nihil inculpabile, sed omnia dubia, imo vero sine dubitatione falsissima, omnia repugnantia, abominabilia, absurda.* E diverso in libris Autorum sacrorum ejusmodi est Panharmonia & concentus, ut licet Scriptores illi diversi inter se fuerint, diversis in linguis, diversis temporibus, diversis occasionibus, diversos ad populos libros scripserint, tamen nihilominus pulcherrime consonent, & dedalo quodam contextu inter se cobæreant. Nemini itaque Christianorum sit dubium, quin propter admirabilem hunc sanctissimumque concentum universa Scriptura unus liber dicatur, Ps. XL. 8. omnibus Prophetis os unum tribuatur, Luc. I. 70. linguæque Scriptorum sacrorum *Calamus Spiritus Sancti* vocentur Psalm. XLV. 2. Hinc & Paulus testatur, se nihil

tos, videantur Systemata Theologica de Auctoritate Scripturæ S. Speciatim *B. Waltherus* L. I. C. I. per tot. *Seb. Schmid.* Collatione Scripturæ & Pont. Rom. Cap. VII. §. 34. *J. H. Majus* in Dissert. Sel. I. *Sam. Ben. Carpzovius* in præf. ad Harmoniam Evangelico-Biblicam fratris Joh. Benedicti; *Magnif. D. H. Muhlins* in Apodixi Script. p. 28. seq. *Jo. Fr. Buddens* Instit. Th. Dogm. T. I. p. 141. seq. itemque præter alios *Edm. Calamy*, Anglus, de Inspiratione sacrarum literarum V. & N. Testamenti, in A. E. supplem. T. V. Sect. IX. pag. 389. sq. egregiè laudatus, sunt consulendi.

hil extra ea dicere, quæ tam Prophetæ locuti, futura esse, quam Moses. Act. XXVI. 22.

II. Non equidem quisquam sanæ mentis inficias ire potest, Antilogias varii generis in sacro codice dari; neutiquam tamen concedendum, easdem esse veras, sed potius apparentes. *Non enim statim pro lubitu contradictiones comminiscende sunt*, ut rectè judicet B. Meisnerus Iren. Dur. expl. p. 329. *Sed illud potius cogitandum, Deum posse super omnia facere superabundanter, plus quam nos petimus aut intelligimus, Eph. III. 20. & apud Deum omnia esse possibile, quæ vox est ipsius Dei Matth. XIX. 26. item, apud Deum non esse impossibile ullum verbum, id est, ullam rem, quod dicit Archangelus Luc. I. 23. Sæpe enim ibi contradictio esse apparet, ubi nulla est, & rerum natura everti ac destrui, ubi id revera non fit, cum rerum natura & essentia, an & ubi evertatur, non semper à nobis, per speculum in enigmate videntibus, exactè perspiciatur, præsertim in iis rebus, quæ captum nostrum excedunt &c.* Ejusmodi vero pugna dirimenda est, ostendendo, idem non de eodem secundum idem, simul & eodem tempore ac respectu affirmari & negari. Hinc Origenes Tom. II. in Epist. ad Rom. Cap. III. l. 3. fol. 499. *Qui fideliter & integre sacrorum voluminum colligit sensum, debet ostendere, quomodo ea, quæ videntur esse contraria, non sint vere contraria.* Cum enim varii in promptu sint conciliationum modi, rectè ἐναντιώσω à scriptura removemus, quanquam ἐναντιοφάσεις quorundam locorum negare non possimus.

III. De ceteris non admodum erimus solliciti, quæ *duovintæ* appellari solent. Etsi enim in Chronologicis, Genealogicis & Propheticis nonnunquam aliqua sit obscuritas, qualem & in reliquis scientiis & disciplinis occurrere manifestum est, nihilo tamen secius in omnibus credendis & agendis verba scripturæ sunt perspicua, ut adeo sacer codex pro vero atque unico cognoscendi principio sit habendus. *Notetur tantum, inquit B. Schome- rus Coll. nov. Controv. p. II. f. seq. ed. 1703. plerasque Antilogias, quæ difficultatem habent, esse positas in numeris, quos si maxime, ut in profanis Scriptoribus accidit, corruptos esse in pluribus locis, largiri vellemus, ut facit quandoque Lutherus (quem vide Marc. XV. 25. von der dritten Stunde in Notis Margin.) posito inquam, corruptos esse, nondum tamen concesso, inde tamen fides ipsorum dogmatum aut Historiarum non collabasceret. Idem dicendum de nominibus quibusdam propriis. (quamdiu enim contra eos disputatur, qui Scripturæ sacræ divinam auctoritatem spernunt, præstat à variis illis conciliandi modis, qui quandoq; duriores videri possunt, abstinere) Ceterum placet & nobis prudens illud monitum in Comment. Martyris & Wolphii ad II. Reg. VIII. 17. quod Gisb. Voetio Tom. I. sel. Dispp. Theol. p. 51. f. placuit: Occurrunt sæpe obscura loca in iis Chronologiis, ad quæ concilianda non eo confugiendum puto, ut dicamus, codicem sacrum mendosum. Nam Deus, qui pro sua misericordia voluit divinas literas nobis conservatas, eas etiam integras, non corruptas, concessit. Quamobrem, si quando quoad nu-*

*merum*

merum annorum nos explicare minime valemus, fatenda est ignorantia, qua laboramus. Et attendendum, sacras literas quandoque tam concise loqui, ut non facile appareat, unde supputatio incipienda sit. Maneat itaque Scriptura incorrupta, qua si labefactetur in uno aut altero loco, in aliis quoque suspecta erit.

IV. De libris *Apocryphis* restat, ut pauca moneamus. Licet enim in Scriptura Canonica non, nisi apparentes, dentur contradictiones, in Apocrypha contra veras habes, si libros *Canonicos* cum illis conferas. Neque hoc mirum: siquidem Canonici à divina inspiratione originem ducunt, Apocryphi autem sunt originis obscuræ & auctoritatis dubiæ. (b) Conferatur e. c. Sap. XIX. 16. cum Exod. X. 23. Syr. XLVI. 23. cum I. Samuel. XXVIII. 15. seq. Judith IX. 2. cum Gen. XLIX. 7. Tob. VI. 9. cum Matth. XVII. 21. Bar. I. 7. cum Thren. II. 6. seq. II. Macc. XIV. 42. cum Exod. XX. 13. &c. &c. (c) Non itaque Jesuita *Erbermannus* cum *Bacone* suo habet, quod miretur, nos alias tot contradictiones in libris Canonicis

A 3

nicis

(b) Vide Præceptorem, in quo glorior, meum, Reipublicæ literariæ decus, S. R. Doct. *Jo. Alb. Fabricium*, in *Bibl. Gr.* Lib. III. Cap. XXIX. *Joh. Christoph. Wolffium*, Theologum consummatissimum, & Fautorem ad cineres usque colendam, in *Bibl. Hebr.* Tom. II, Sect. III, Subsect. I, aliosque.

(c) Ingentem horum farraginem habes in *B. Gerhardi Exegeß* L. I. de Scriptura sacra, Cap. VII. *Jo. Reynoldi Censura* librorum Apocryphorum; & *D. Val. Veltheimii Theologia* memoriali, Loco de Scriptura sacra, p. 12, 13, alibique passim.

nicis indubitatis occurrentes, concoquere, tamen cum ad Judith, Estheris, Macchabæorum &c. libros accedamus, ita moroso esse stomacho, ut manifestis scateret falsitatibus & Antilogiis clamitemus. Responsum illis est à Theologo præstantissimo, B. D. *Christ. Kortbolto*, in tract. de Canone Scripturæ sacre, Cap. XI. §. X. cum quo & nostro capiti primo finem sic imponimus: *Quemadmodum, si quid dicatur in libris indubitato Canonicis, præcipue attendimus, QUIS dicat: ita cum in ceteris istis controversis aliquid dicitur, attendimus, QUID dicatur.*

## CAPUT II.

### *De Origine & Causis Antilogiarum.*

I. **C**ausæ Antilogiarum Biblicarum triplicis potissimum sunt generis: dantur aliæ *ex parte Dei*, aliæ *ex parte Scripturæ*, aliæ *ex parte hominum*; de quibus sigillatim nobis jam agendum erit. Et quidem quod ad illas spectat, propterea benignus Deus non protinus ex nuda lectione omnia in scripturis comprehensa, intellectu facilia & clara nobis esse voluit, ut socordiam nostram excitet, utque multis adhibitis vigilis ita ex iis utilitatem capiamus. Ut plurimum namq; ea, quæ cum labore & investigatione acquiruntur, altius menti nostræ inhaerent: quæ vero citra difficultatem parantur, ea velocius ex animo nostro avolant. Ita *Chrysostronus* Homil. XXXII. in Gen. 253. ex versione *Suiceri* Thes. Eccl. tit. ἐμπήγνυμι. Conf. tit. γεφῆ pag. 796. ubi

ubi ex *Theodoreto*, *Clemente Alexandr.* *Basilio M.* &c. plures adducit causas, quibus jungendæ sunt, quas *Augustinus*, *Gregorius M.* & *Sixtus Senensis*, teste *Walthero*, Harm. Bibl. L. I. C. II. §. 13. suppeditarunt. Has ipsas B. D. *Jo. Olearius* in Collegio Biblico Mst. de insolubilibus, ut vocant, Scripturæ S. modernis Antiscripturariis opposito, in ordinem redegit & auxit. „Causæ, inquit, *remotivæ* sunt: 1.) *Veterni excussio*; ut à deterioribus, minusque aut utilibus aut necessariis studiis mens nostra avocetur. 2.) *Supercilii humani abjectio*; ut humana edometur superbia, cum assequi & intelligere se scripturas omni ex parte non posse, intelligit. 3.) *Fastidii abstersio*, ut omne in isto Scripturarum S. epulo absit fastidium. *Positivæ* sunt: 1.) *Religiosi timoris atque reverentiæ erga literas sacras incussio*, ut suus Scripturæ S. honor, sua maneat *Autoritas* &c. 2.) *Exsuscitatio ad ardorem in orando, diligentiam in legendo & meditando* &c. 3.) *Desiderii alterius vitæ ingeneratio*, ubi non amplius ex parte cognoscemus & ex parte prophetabimus; sed, quod imperfectum est, tolletur, & cernemus omnia coram, non per speculum aut per ænigma. I. Cor. XIII. 12. I. Joh. III. 2.

II. „Multa, sic pergit *Olearius*, in scripturis esse intellectu difficilia & propemodum insolubilia, arguit non modo *Mysteriorum Fidei* ὑπὲρ νόον, ὑπὲρ λόγον, καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν positorem profunditas; sed & vel maxime, quoad præsens argumentum, rerum à nobis longif-

„ sine remotarum historia, quæ suorum licet tem-  
 „ porum atque locorum hominibus, queis cir-  
 „ cumstantiæ singulares historiæ toti lucem afful-  
 „ gentes, cognitæ ac perspectæ erant, satis claræ  
 „ fuerint; nobis tamen, illarum notitia destitutis,  
 „ non possunt non difficultatem quandoque & ob-  
 „ scuritatem parere. Sermonem etiam Scriptu-  
 „ ræ alicubi obscurum esse, præter phrasium sin-  
 „ gularitatem ex idiotismo vel Hebraico, vel Hel-  
 „ lenistico fluentem, ostendunt figuræ, quibus  
 „ scatent, & varietas sensus, quo interdum verba  
 „ & loquendi genera à diversis interpretibus acci-  
 „ pi possunt.

III. Idem MSt. Olearianum distinguit porro  
 causas Antilogiarum *ex parte hominum in Conge-  
 nitam & vitio nostro contractas.* „ Causa nobis  
 „ omnibus congenita naturalis intellectus huma-  
 „ ni cœcitas est. (d) Tenebris obscuratum ha-  
 „ bent intellectum omnes homines propter igno-  
 „ rantiam, quæ est in natura ipsorum, propter cœ-  
 „ citatem cordis eorum. Eph. IV. 18. Animalis  
 „ homo non percipit, quæ sunt Spiritus Dei. I. Cor.  
 „ II. 14. Sine lumine divino homo ne Jota qui-  
 „ dem unum in Scripturis ex naturalibus ingenii  
 „ sui viribus videre potest. Spiritus S. requiritur  
 „ ad totam Scripturam & quamlibet ejus partem  
 „ intelligendam. Lutherus in libro de seruo ar-  
 bitrio

(d) Conf. S. R. Jo. Fr. Buddei Instit. Theol. Mor. P. I. Cap. I.  
 Sect. II. §. 23. B. Justi Christoph. Schomersi Theol. Mor.  
 Cap. I. §. 12. Petr. Dan. Huessii Quæst. Alnet. Antecess.  
 §. I. seq. al.

bitrio scribit: Omnes nostræ conciones non sufficiunt, ut fidem Christianam Ethnicis & Hæreticis (multo minus Atheis atque hujus generis Fanaticis aliis) persuadeamus, nisi ipse Deus Doctor accedat, & mentem eorum divino suo lumine illustret. Hoc lumen fidei est testimonium quoddam Dei, quo intus in domicilio cordis dicitur: Ita est, nihil hæsites. Verba sunt *Bellarmini* in *Lumine Fidei* p. 674. quod confirmatur exemplis *Judæorum* II. Cor. III. 13. seq. nec non *discipulorum*. Luc. XXIV. 25. seq. *Causas vitio nostro contractas* auctor dicit sequentes: 1.) Rationis, affectibus vel præjudiciis occupatæ, delirationem. 2.) Precum intermissionem. 3.) Linguarum sanctarum contemptum. 4.) Antecedentium & consequentium neglectionem. 5.) Ineptam locorum diversissimorum collationem. 6.) Historici, Personarum, locorum, temporum, consuetudinum veterum, aliarumque circumstantiarum à nobis longissime remotarum vel ignorationem, vel non satis attentam considerationem; in quibus cum B. Walthero Harmon. Bibl. L. I. C. II. per tot. ferme concordat, nisi quod hic §. 15. vocum æquivocationis & ambiguitatis sermonis adhuc mentionem faciat.

## CAPUT III.

*De Inventoribus seu Indicibus Antilogiarum.*

I. Sententiarum in Scripturam sacram injurarum tanta est copia, ut, si in justum systema colligantur, integrum facile codicem explere

A 5

pos-

possint. (e) Pestilentissima vero omnium mihi semper est visa, quæ mirandam cœlestis doctrinæ Harmoniam labefactare, sacrumque codicem regulam Lesbiam, nasumque cereum efficere conatur. De Auctoribus stupendæ hujus malitiæ acturi, primum sistimus Veteratorem infernalem, *Diabolum*, qui jam à primis mundi incunabulis maledictæ artis specimen in Paradiso edidit. Genes. III. 1. 2. seq. itemque in Novo Testamento, verbis Mosaicis Deut. VI. 16. Davidicum effatum Psalm. XCI. 11. 12. mancum quidem & mutilum, opponendo, iteravit. Matth. IV. 6. (f) „ Ne-  
 „ que sic contentus, *μεθόδειαν* adhibuit Dei &  
 „ hominum hostis, vulpinari cœpit, & periculo-  
 „ sas non saltem de dogmatibus lites serere, sed &

(e) Egregiam hac in re operam navavit Ven. D. *Henr. Asc. Engelcke*, in doctissima dissertatione de Sententiis in Scripturam sacram injuriis, & in tractanda illa minus tutis, postmodum B. D. *J. C. Schomers* Collegio novissimarum controversiarum præmissa.

(f) Summus mendaciorum Architectus ejusmodi dictis Scripturæ tentatos invadere solet. Peregrinatorem aliquando dehortatus est, ne S. Cœna uteretur, verbis Paulinis: Non est regnum Dei cibus & potus, sed justitia & pax & gaudium in Spiritu sancto. Rom. XIV. 17. Pauperculo vitam æternam abjudicavit, inquit: Si quis propriorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem abnegavit, & est infideli pejor. I. Tim. V. 8. Viduæ cuidam piæ Justificationem dubiam reddere satagebat verbis Davidis: Puer sui, etiamq; consenui: sed non justum derelictum, aut semen ejus quærens panem Psalm. XXXVII. 25. Conf. B. D. *Chemnitius* Disp. de Tentat. spirit. §. 19. & ex eo B. Mag. *Christ. Scriver*. *Seelen-Schatz* P. IV. p. 397. §. 36.

& Scripturam sacram sollicitare, apices captare, “  
 verba vexare, sententias torquere, sacros Scri- “  
 ptores inter se committere, nodos nectere, ut “  
 gliscentibus dubiis glisceret impietas, & sensim “  
 non chartas solum occuparet, sed & animos, & “  
 à libris ad homines transfret; “ quæ verba sunt *Fr.*  
*Spanhemii* Dub. Evang. P. I. præf. p. m. 1.

II. Mortalium, & quidem extra Ecclesiam vi-  
 ventium, nunc erit nobis habenda ratio. Histo-  
 ria Ecclesiastica enim, fidelis præteritorum Magi-  
 stra, nos edocet, *Porphyrium, Julianum, Faustum,*  
*Celsum, Appianum, Simplicium, Galenum, Lucianum,*  
*aliosque Gentiles* calumnias de vanitate, falsitate,  
 confusione, discrepantia, aliisque ejusdem fari-  
 næ verbo veritatis assuisse. „ Excitavit acerri- “  
 mus tamen verbi sui vindex, Deus, omni ævo “  
 homines strenuos, inquit *Spanhemius* l. c. pag. “  
 seq. qui technas adversariorum solide eliserunt, “  
 & S. Scripturæ incorruptam dignitatem mascu- “  
 le sunt tutati. In quo genere *Justino Martyri,* “  
*Tertulliano, Origeni, Epiphania, Hieronymo, Augu-* “  
*stino, Cyrillo Alexandrino,* & aliis id genus summis “  
 viris non vulgaris laus debetur, quorum zelo & “  
 lucubrationibus eruditus effectum est, ne proter- “  
 viam illam vel impune ferrent homines impii, “  
 vel illa fraudi esset Ecclesiæ Christianæ. „

III. Ad gentem recutitam nos accingimus; &  
 quidem, quod ad veteres *Judeos* attinet, videndus  
*B. Waltherus* Harm. Bibl. Cap. II. §. 19. “ Saddu- “  
 cæi, inquit, sincerioris religionis hostes juratis- “  
 simi & contemtores verbi divini perniciosissimi “  
 pugna-

„ pugnare putabant dicta Prophetarum de Resur-  
 „ rectione & Vita æterna cum Mose præcipiente,  
 „ ut frater mortui fratris uxorem ducat; & cum  
 „ omnibus aliis mandatis, de non possidendo alie-  
 „ no. In causa erat ipforum propria inscitia Scri-  
 „ pturarum, potentia Dei & proprietatum novæ  
 „ illius vitæ, ubi non nubent neque edent, ut re-  
 „ spondet Christus. Ficta ergo est contrarietas,  
 „ vivent enim commutata natura, sine bonis ac  
 „ commodis hujus vitæ. (g) Judæi in genere  
 „ pugnare arbitrabantur Prophetas cum Mose &  
 „ aliis Scripturis, pollicentibus stabilitatem ac  
 „ protectionem Dei illi populo & cultui, sed non  
 „ considerabant, illas promissiones esse conditio-  
 „ nales, neque intelligebant vocem *Olam*, Mofai-  
 „ cis promissionibus sæpe adjunctam, non semper  
 „ significare omnem perpetuitatem, sed ut pluri-  
 „ mum longum duntaxat tempus. „ Hactenus  
 „ ille: De *Philosabbatino* quodam, ex Judæis oriun-  
 „ do, scribit B. D. *Chemnitius* Harmon. Evang. Pro-  
 „ leg. Cap. II. p. 6. a. media, illum cum Hæreticis  
*Alogis*

(g) De Sadducæis *Tertullianus* de Præscript. *Origenes* tract.  
 22. in Matth. & Lib. I. contra *Celsum*, *Hieronymus* etiam  
 in Matth. c. 22. *Philastrinus* lib. de Hæresib. alique per-  
 multi referunt, eos libros Prophetarum rejecisse: solos ve-  
 ro libros Mosis ex libris veteris Test. recepisse: unde fa-  
 ctum sit, ut Christus, prædicto Matthæi capite, ex libris  
 duntaxat Mosis errorem eorum de Resurrectione refutave-  
 rit; hoc tamen de eis non esse admittendum censet *Scali-  
 ger*, Elencho, Cap. XVI. adversus *Nicolaum Serrarium*,  
 cujus & argumenta vide sis in *Rovanella Biblioth. sacra*, tit.  
 Scriptura S. No. XI, 3.

*Alogis & Gentilibus, Porphyrio atque Celso, accu-*  
*fasse Evangelistas, quod in descriptione Historiæ*  
*Evangelicæ inter se non consentirent, quibus cir-*  
*ca annum Domini 380. Epiphanius se opposuerit.*  
*Neque recentiores Judæi desidiosii fuerunt in op-*  
*pugnanda Harmonia Biblica. Videatur R. Lip-*  
*man in ספר נצחון R. Isaac Ben Abraham in*  
*חוק אמונה Anonymus Lusitanus in colloquio*  
*Mittelburgensi &c. &c. (h) quibus vel unicum*  
*B. D. Jo. Mullerum, Theologum quondam Ham-*  
*burgensem celeberrimum in JUDAISMO Part. III.*  
*Cap. III. & IV. satisfecisse puto, ut Jac. Guffetum*  
*in confutatione libri חוק אמונה Amstelod.*  
*1712. fol. edita, omittam.*

IV. *Samaritanos* cum Sadducæis eandem tibiā  
 inflasse, sunt, qui autumant. Solis enim quin-  
 que libris Mosis utebantur, Prophetas autem re-  
 jiciebant, ut referunt *Origenes* in Cap. 25. Num.  
 Lib. I. contra *Celsum* & in Cap. III. Rom. *Cyrillus*  
*Jeros.* Catech. 18. *Epiph.* hæ. 8. *Chrysof.* hom.  
 30. in Joh. *Ambros.* in 1. Cor. c. 9. & *August.* tract.  
 15. in Joh. vid. *Ravanelli* Bibl. S. tit. Samaria, cir-  
 ca med. & tit. Scriptura S. No. XI. 3. addatur *Theo-*  
*phylactus* ad Cap. 4. Joh. itemque *Leontius Advo-*  
*catus Bysant.* (qui in Schola ait: Sacerdotem mis-  
 sum à Rege Assyriorum ad novos Samariæ colo-  
 nos, nihil aliud eos docuisse, ut extranei Scripto-  
 res ajunt, nisi Pentateuchum, quamobrem illam  
 solam

(h) S. R. Jo. *Christoph. Wolfium* pro more suo, i. e. doctissime  
 commentantem videas de hoc p. 742. de illō p. 641. de  
 isto p. 734. seq. P. I. Bibl. Hebr.

solam Scripturam Samaritanos recepisse.) (i) Neque hoc mirum, quoniam ceteri libri Canonici ipsorum hypothesebus obstabant. Ita enim *Tob. Pfannerus* System. Theol. Gent. purioris in addendis ad Cap. XVII. §. 12. „ Præter Sadducæos Sa-  
 „ maræos quoque & Apostolorum tempore Co-  
 „ rinthios, non resurrectionem tantum carnis, sed  
 „ & permansionem animæ negasse observat, & de  
 „ postremis ex Epist. ad Corinth. I. c. XV. 19.  
 „ ostendit *Origines*, qui & alibi Samaritanos futu-  
 „ rum seculum inficiatos esse, ne animæ quidem  
 „ permanentiam admittentes, affirmat.“ (k)

V. *Gentilium, Judeorum & Hereticorum βδελύ-  
 γμα* omnia, inquit *Voetius* P. I. Dispp. sel. p. 48.  
 §. 1. *auxit & superavit impurissimus impostor Mahu-  
 med, Azoar. V. coll. cum I. ut hac occasione novum fi-  
 dei principium, novas revelationes hominibus obtru-  
 deret, abominandum scilicet & insanum suum Alco-  
 ranum, qui solus nunc Saracenis Verbum Dei κατ'  
 ἔξοχὴν appellatur.* Licet enim ipsius affectæ Scri-  
 pturam Veteris & Novi Testamenti divinum ha-  
 bere

(i) Hodiernos Samaritanos solo Pentateucho contentos esse, ipsi sunt testes in Epistolis ad Illustr. *Job Ludolfum*, de quibus Act. Erud. Lips. A. 1688. pag. 378. seq. Quod ad ipsam Pentateuchi hujus conditionem attinet, tres imprimis, observante *Hottingero* in Exercitationibus Anti-Morinianis p. 32. sq. sententiæ se offerunt, quas cum aliis observationibus eruditissimis huc spectantibus exhibet idem *Ven. Wolfius* p. 427. seq. Part. II, Bibl. Hebr.

(k) Figmentum hocce Judaicum esse, Sadducæorum vindices *Humfredus Hody, Relandus & Abraham Ecchellensis* ostenderunt, de quibus *Wolfius* l. c. p. 434. m. videndus.

bere ortum statuunt, hodie tamen adeo corruptam esse dicunt, ut necesse fuerit, Alcoranum substitui. Legatur S. R. *Engelcke* Disp. de Sentent. in Scripturam injuriis, §. 1. p. 3. qui §. 3. p. 7. recte regerit, talem falsationem non posse probari, atque ea ex ratione fieri non potuisse, quia exemplaria per totum orbem sint dispersa &c. Cum autem cardo rei in hoc ipso asserto Mahumedano versetur, Antilogias & mendacia in verbo Veritatis contineri, perscripta fronte mentiuntur. Nihil equidem ex Veteri Testamento objiciunt, aut ex Historia N. T. plurima corraferunt, quæ inter se & cum veritate pugnare videntur, quorum catalogum, quod ego quidem sciam, omnium optime *Jo. Hoornbeeck* in summa Controversiarum p. 102. exhibuit. Sed & sæpius refutati sunt. Vid. *Phil. Guadagnoli* Apologia pro religione Christiana Cap. IV. & VII. *Jo. Andreas Maurus*, in Confusione Sectæ Mahumedicæ Cap. X. *L. Maraccius*, in Prodromo ad refutationem Alcorani, alique.

VI. Quanto ausu *Hæreticorum turba* se codici sacro opposuerit, *Bellarminus* T. I. Lib. I. de verbo Dei Cap. V. & VI. ostendere satagit. Speciatim *Marcionitas* & *Manichæos Voët.* l. c. *Alogianos* item seu *Alogos Chemnit.* Harm. Evang. Proleg. p. m. 6. a. m. in nostrum censum venire, docent. Nec prætereundus est *Adimantus*, qui Sec. III. rationes contra Legem & Prophetas conscripsit, de quo *Guil. Caveus* in Script. Eccles. Hist. Lit. p. m. 92. a. f. ita: „Adimantus magni erat nominis inter  
Mane-

„ Manetis discipulos, & pro doctore celeberrimo  
 „ habebatur: ipsius liber Augustinum nactus est  
 „ Antagonistam, cujus tractatus contra Adiman-  
 „ tum inter opera ejus reperitur Tom. VI. col. 174.  
 „ Ex quo colligere licet, in opere suo id unice sibi  
 „ proposuisse Adimantum, ut Vetus Testamen-  
 „ tum, libros præsertim Mosaicos, cum Evange-  
 „ lio committeret. Quo fine loca, quæ sibi vide-  
 „ bantur pugnantia, collegit & sibimet invicem  
 „ opposuit. Singula Augustinus in responsione  
 „ sua scrupulose expendit, magnoque judicio &  
 „ acumine refellit.

VII. Scommata, quæ *Pontificii* horrenda teme-  
 ritate in Scripturam sacram eructare solent, sunt  
 notissima, inter quæ locum sibi & hoc vindicat:  
*Scripturam Scripturæ contradicere.* Vid. B. Balb.  
*Meisneri* Philos. sobr. P. II. Sect. II. Quæst. XXII.  
*Christ. Matthie* Antil. Bibl. Præf. G. Voëtius l. c.  
 §. 2. &c. Ipsorum scilicet interest, ut laici à le-  
 ctione Scripturarum arceantur, traditionum mon-  
 stra intrudantur, & autoritas papalis interpretati-  
 va extollatur. Quadrat huc effatum *Irenæi*, qui  
 de Hæreticis, traditiones jam tum crepantibus  
 Lib. III. Cap. II. scribit: „ Cum ex Scripturis ar-  
 „ guuntur, in accusationem convertuntur ipsa-  
 „ rum Scripturarum, quasi non recte habeant, ne-  
 „ que sint ex Autoritate, & quia varie sint dictæ,  
 „ & quia non possit ex his inveniri veritas ab iis,  
 „ qui nesciant traditionem.“ Licet enim Pontifi-  
 cii Scripturam sacram quandoque splendidis titu-  
 lis ornare solent, illam tamen non vere laudant,  
 sed

sed culpant, quia id faciunt hoc respectu, quatenus illa, secundum ipsorum hypothese[m] falsissimam, jam auctoritatem suam accepit ab Ecclesia, quod iudicium est B. *Dieterici* Instit. Catech. de Script. S. qu. 3.

VIII. Nec omnes, qui ex *Calvini* scholâ prodi-  
erunt, ab errore, quem examinamus, prorsus  
fuere immunes. Sunt enim, qui cum *Fr. Junio*  
docent, scriptores N. T. aliquando prudentes,  
scientes, præter Veritatem Historiæ quædam  
scripsisse, ac recepto errori interdum ex charitate  
aliquid condonasse, & propter opinionem vul-  
giâ veritate Historiæ deflexisse. (1) Sunt etiam,  
qui affirmant, Scriptores sacros, quandoque me-  
moriâ lapsos, errasse, minusque appositè citasse,  
quorum Catalogum *G. Voëtius* l. c. §. 3. No. 4. &  
verba *C. Vorstius* ad rationes *Donteelockii* recita-  
vit.

(1) *Nulla specie negari potest, inquit, Waltherus Harm. Bibl. Dedic. p. m. 14. in. in Scriptura S. multoties rem describi non natâ τὸ εἶναι sed natâ δόξαν τῶν ὄντων, uti est, Φαυομένως. Ex opinione hominum Idola vocantur Dii Es. 44. v. 10. τῶν σατανᾶν Deus hujus seculi 2. Cor. 4. v. 4. quo sensu τῶν ἀποστόλων Epimenidem Poëtam Tit. 1. v. 13. Prophetam vocat, quoniam à Creten[s]ibus talis fuit habitus, qui eidem etiam, teste Diogene Laërtio, post mortem sacrificaverunt. Vir senex à Pythonissa productus appellatur Samuel 1 Sam. 28. propter externam formam, in qua apparuit, cum nihil minus fuerit, quam verus Samuel. Alias nos minime latet, quomodo Calviniani hoc canone abutantur, τῶν ἐν rei Veritate omnem Scriptura certitudinem labefactent τῶν ἐνεν, verbi causa locum 2. Petr. 2. v. 20, 21. &c.*

vit. Nostrum non est, argumenta, quibus utraque pars utitur, perpendere, quod jam pridem ab aliis factum, interim de iisdem Capite seq. paucis nobis erit agendum.

IX. De *Photinianis* idem, quod de Calvinianis censendum esse, B. *Waltherus* Harm. Bibl. L. I. C. II. §. 19. judicat; scil. utrosque sibi plures fingere contradictiones in Scripturis, quia stolidis suis sensibus & inveteratis opinionibus optemperare malunt, quam apertissimis Spiritus Sancti, in Bibliis loquentis, monitis & monumentis. *Socinus* quidem ipse lib. de Autoritate Scripturæ C. 9. aperte scripsit, in Historia Novi Testamenti nulla loca esse, quæ talia videantur, quin omnibus commodus dari sensus, librique adeo ipsi salvari a suspicione contrarietatis vel diversitatis possint. Similiter *Catechismus Racov.* Cap. I. de Scriptura S. p. 6. *In scriptorum horum libris nihil plane est, quod vel sibi met contrarium vel etiam falsum sit, ut ex diligenti examine istorum locorum, in quibus videri possit, tale quid esse, facile colligi potest.* Imo ipse *Socinus* in *Lectioibus* S. p. 74. sæpe loca illa, ubi alii mendum leviter objiciunt, haud incommode explicuit, saltim explicare tentavit, excogitata quandoque, ut sibi videbatur, nova interpretatione. Alibi tamen asserit, fieri posse, ut alius è sacris scriptoribus alio veritatem rerum melius tenuerit, & fortasse aliquantum, aut etiam multum diversa alius ab alio scripserit, lib. de Autor. Script. p. 14. adde *Volkeli*um de vera Religione p. 327. Fieri potuisse, ut in aliquibus leviter errarint p. 12. Unde

de etiam lapsus memoriæ in Scriptura S. admittere non dubitat *Socinus* Prælect. Sacr. p. 79. ut & *Autor amicæ Dissnt. adv. Judeos* Resp. ad Quæst. XXI. p. 109. seq. Iterum *Socinus* l. c. & *Georg. Enjedinus* in explicatione locorum p. 378. seq. Epistolam ad Hebræos pravæ citationis Scripturæ & ineptissimarum argumentationum, imo aperti falsi postulat, & nihilominus p. 380. dicit, se auctoritati ejus nihil quicquam detrudere. Videas autem horum sententias refutatas à *B. Calovio* in *Socin. proflig.* p. 60. sq. *Schomero* in *Colleg. Anti-Socin.* p. 13. Quæst. 4. *Fr. Bechmanno* *Theol. Pol.* p. 72. sq. & alibi.

X. Ex *Arminianis* Socinizantibus *Simon Episcopus* *Instit. Theol. L. IV. C. 4.* splendidum Harmoniæ sacræ testimonium perhibet, quando sensus omnes, sive ad substantiam religionis ipsius pertineant, sive non pertineant, nullo negotio à contradictione, absurditate & mendacio, per interpretationem scil. commodam, vindicari posse affirmat; dum vero p. 252. b. sq. in rebus levioris momenti lapsus admittere voluit, non video, quomodo inspiratio Scripturarum divina, adeoque & Harmonia, facta tecta manere possit. Amice conspirat cum *Episcopo Phil. à Limborch* *L. I. Th. Christ. c. 4. §. 10. p. 14.* quibus annumerandus est *Jo. Clericus*, *Celeb. Linguarum Orient. Professor* in Collegio Arminianorum Amstelodamensi, & *Nat. Alb. de Verse*, vel quisquis fuerit *Autor Censuræ super Simonii Historiam Criticam*, qui

ad contradictiones provocantes refutantur à B. *Job. Henr. Majo* Diff. sel. I. p. 24. §. XII.

XI. *Anabaptistarum* placita inter se magna ex parte discordare notum est; quod enim hic affirmat, alius negare audet. In articulo tamen de Scriptura S. communiter statuunt, solam Novi Testamenti Scripturam, & non etiam veteris Canonem esse fidei. Hinc in Colloquio A. LXXI. Sec. Reform. Franckendalii, Autoritate *FridERICI Electoris*, inter Palatinos Theologos & Anabaptistas habito, (m) quindecim horum præsentis, Vetus Testamentum haud aliter in Disputationem Fidei admittendum censuerunt, quam *quatenus cum Novo Testamento concordat*. Conf. *Bellarmin.* L. I. de verbo Dei, Cap. V. in.

XII. *Fanatici*, spiritu vertiginis abrepti, Scripturæ S. speciatim infensi esse solent. Sic *Val. Weigelius* vult, in natura & Scriptura contradictoria esse & contraria. v. g. in Scriptura: Deum poenitere, Deum non poenitere. In natura: album non album; sic cœlum, infernus, Deus, Diabolus &c. vid. *Jo. Hoornbeeck* summam controversiarum p. 415. sq. Idem *Weigelius* im güldenen Griff Cap. 14. & 16. aperte asserit: Die Schrift sey immer wiederwärtig in ihren Sprüchen. Qui plura ejusmodi deliria legere cupit, is adeat S. R. D. *Val. Ern. Læscheri* Prænot. Theol. p. 163. §. IV. Con-

(m) Colloquio finito, Anabaptistis, variorum errorum convictis, interdictum est Palatinatu; Acta autem colloquii impressa Heidelbergæ in 4to A. 1571. testante *Jo. Micralio* Hist. Eccl. L. III, Sect. II, §. 40.

Contradictiones, quas præcipue urgere solet hoc hominum genus, habes enumeratas & conciliatas apud B. D. *Fridem. Bechmannum*, in annot. uber. in Compend. Theol. Leonh. Hutteri p. 22. sq. Nos acquiescimus in judicio *Gisb. Voëtii*, quod l. c. ita se habet: „Enthusiastæ idem hoc saxum vol-“  
vunt, ut imperfectione & ineptitudine verbi“  
scripti evicta, homines ad verbum occultum, ad“  
spiritum suum internum, & furores enthuſiasti-“  
cos detruderent, atque adeo ab omnibus exter-“  
nis fidei pietatisque mediis abducerent.“

XIII. Famosiſſimos *Atbeismi* Doctores Antilogias Biblicas urſiſſe, denique ostendendum erit. *Bened. Spinoſa* Tract. Theol. Pol. Cap. XI. p. 143. inter alia sic scribit: „Deinde si ipsas episto-“  
las aliqua cum attentione percurramus, videbi-“  
mus Apostolos in ipsa religione quidem conve-“  
nire: in fundamentis autem admodum discre-“  
pare: Nam Paulus, ut homines in religione con-“  
firmaret, & iis ostenderet, salutem ex sola Dei“  
gratia pendere, docuit neminem ex operibus,“  
sed sola fide justificari, posse &c. Jacobus au-“  
tem contra in sua epistola hominem ex ope-“  
ribus justificari, non ex fide tantum. Tan-“  
demque concludit: Non dubium est, quin ex“  
hoc, quod Apostoli diversis fundamentis religi-“  
onem superædificaverint, ortæ sint multæ con-“  
tentiones & schismata, quibus Ecclesia jam in-“  
de ab Apostolorum temporibus indefinenter ve-“  
xata fuit, & profecto in æternum vexabitur.“  
Refutatus est à *Museo, Huetio, Batelerio, Mansfel-*

*dio, Cupero, Bleyenbergio, aliisque. Sic Autor Systematis Præ-Adamitici, Isaacus Peyrerius: „ De*  
*„S. Bibliis aperiã, quod omnes sentiunt, quod-*  
*„que plerique mussant dicere. Tanta scilicet in-*  
*„curia & caligine tanta scripta fuisse, ut nihil ple-*  
*„rumque intricatius, nihil obscurius legi possit. -*  
*„ - - Quod si coram loquendo cum homini-*  
*„bus, perplexe & ænigmatice locutus est Deus,*  
*„non absimili vero conjectura existimandum erit,*  
*„scriptis eadem tradita perplexius & nodosius ad*  
*„posterios transmitti voluisse. Et denique: Omit-*  
*„to recensere obscura in his libris, confusa & tur-*  
*„bata passim pleraque: imo quædam invicem*  
*„pugnantia, ut frigida calidis & sicca humentibus.*  
*„At vos, qui in illis conciliandis responsiones &*  
*„solutiones unde unde eruere & extricare satagi-*  
*„tis, frustra omnem operam teritis &c. vid. P. I.*  
*L. IV. C. I. p. 172. sq. Huic se opposuerunt *Micra-**  
**lius, Dannbauerus, Maresius, Rioponius, Bullialdus**  
*&c. &c. Tandem *Matthias Cnuzen, Holsatus, E-**  
*pistolam suam, Romæ 6. Kal. Martii Ao. 1674. ut*  
*singit, exaratam, sic orditur: „ Demiratus ha-*  
*„ctenus sæpiuscule, qui fieret, quod Christiani, id*  
*„est, rotarum in modum uniti, secum discordent,*  
*„& nunquam non altercationis ferram recipro-*  
*„cent; jam demum cesso demirari, cum intelle-*  
*„xerim, eorum canonem quoque & fundamen-*  
*„tum, quod Biblia nuncupant, secum penitus dif-*  
*„sonare & vacillare. Possẽm equidem id vel sex-*  
*„centis per omnes, qua veteris qua novi instru-*  
*„menti, libros statuminatum ire exemplis &c. &c.*

Ha.

Habes integram apud *Harnaccium* in *Contin. Hist. Eccles. Micrælii* p. 2290. sq. refutatam apud *Job. Museum*, tam in Introductione, quam tractatu. *Ablehnung von der vermeinten Gewissener = Secte*, qui instar omnium esse potest. Add. Ven. *Jo. Fr. Buddeum* in thesibus de Atheismo p. 198. sq. & *Cel. la Croze Entretiens &c.* p. 400. sq.

## CAPUT IV.

*De Remediis spuris.*

**L** Medico circa causas morborum errante, remedia erunt vana. Sic & h. l. Causam Antilogiarum permulti hanc esse clamitant: *Fon-tes sacros impure fluere*. Sciagraphiam hujus sententiæ, pro instituti nostri ratione, sequentem exhibebo. (I.) Alii *scripturam sacram* tanquam corruptam accusant, & sunt  $\aleph$  qui *malitiosam* corruptionem, eamque binam fingunt. (a.) *Judaicam*; sic Karæi, Muhammedani & Christiani tam veteres, quam recentiores non pauci, Judæos corruptionis textus sacri insimularunt, de quibus Ven. *Jo. Christoph. Wolfius* ex professo agit in *Bibl. Hebr.* P. II. p. 15. sq. (b.) *Hereticam*, quam Theologus Rostochiensis *D. H. A. Engelcke* in *Diff. de Sentent. in Scripturam S. injuriis* p. m. 35. m. sq. lectoribus exhibet. Sunt etiam  $\beth$  qui *fortuitam* tantum corruptionem urgent, eamque vel ex injuria temporum, vel ex incitia & incuria librariorum ortam, quos *Jo. Morinus* Cap. IV. p. 19. sq. *Exercitt. Biblic.* recensuit. (II.) Alii *scriptores sacros*, sed diversimode, aggrediuntur.  $\aleph$  Non-

nulli ajunt, *Amanuenses sacros memoria labi, aut in levioribus errare potuisse*, de quibus præter alios *G. Voëtius* dispp. sel. Theol. P. I. p. 49. f. seq. ☐ Alii asserunt, *in rebus ad salutem præcise non necessariis Scriptores S. non loqui tam accurate, sed ex opinione vulgi*. Conf. *Petri van Mastricht* vindiciæ Veritatis & Auctoritatis S. Scripturæ in rebus Philosophicis, adversus dissertationes *D. Christoph. Wittichii*. ☐ Alii sive *κρίσις*, sive *ὑπερὰ πρότερον*, sive *utrumque* per amanuenses factum esse prætendunt, quos notatos habemus apud *S. R. Wolfium* l. c. p. 12. §. VIII. Verum Deus, qui nec fallere, nec falli potest, singulari sua Providentia verbum veritatis ab ejusmodi fraudibus & perversitatibus semper tutatus est, sacrosque amanuenses peculiari privilegio ab errandi periculo immunes fecit. Eccl. XII. 10. Prov. VIII. 8. 2. Tim. III. 16. 2. Petr. I. 21. Hebr. VI. 18. nosque supra Cap. II. causas alias, easque verissimas allegavimus.

II. Sed stante hac hypothese: Fontes sacros fluere impuros, non possunt non Antilogiis medicæ manus inaniter adhiberi. En cohortem *Pontificiorum*, remedia Harmonica *in infallibilitate Ecclesie* quærentem. „ Aft Ecclesia errare potest in „ fundamento, non tamen circa fundamentum, „ i. e. fieri potest, ut coetus hic visibiliter congregatus degeneret, & a veritate Scripturæ sacre in „ articulis fundamentalibus erret, erroresque ipsos „ prædicationi verbi immisceat, vel ut piis, qui in „ hoc coetu primo fuerunt, impii succedant, do- „ nec tandem fiat coetus totus in fundamento er-  
ran-

rantium, vel saltem multitudo errantium pau-  
 cos superstites non errantes ita vincat, ut quan-  
 quam erroribus non assentiantur, non tamen,  
 quominus introducantur, doceanturque, impe-  
 dire queant.“ *Sic erravit Romana Ecclesia, inquit*  
*B. Seb. Schmid. Compend. Theol. Cap. XXIII. de*  
*Ecclesia §. 53. Talis obscuratio erat ante Chri-*  
*stum in Ecclesia Israëlitica per Baalitas 1. Reg. XIX.*  
*14. & post natum Salvatorem in Ecclesia Christi-*  
*ana per Arianam hæresin, de qua Hieron. Dialog.*  
*contra Lucifer. ita: ingemuit totus orbis, & se Ari-*  
*anum esse admiratus est.*

III. Per fugium Antilogiis *Versiones* præbere,  
 easque textui Originali præferendas esse, superi-  
 ori seculo permulti censuere. *Samaritanum codi-*  
*cem* non solum *Jo. Morinus*, Reformatus primum,  
 deinde Apostata & Presbyter Oratorii Parisiensis,  
 Hebræo prætulit, sed & *L. E. du Pin* in præf. ad  
 Bibl. S. Pentateuchum Samaritanum cum Hebræo  
 vult conferri, ita ut, quia mox hic, mox ille, cor-  
 ruptus, alteruter, qui melior est, adhibitis regu-  
 lis criticis eligatur. *Ad LXX. Interpretes* præter  
*Morinum Lud. Cappellus*, Prof. Th. & Hebr. linguæ  
 Salmuriensis, *Isaacus Vossius*, Canonicus Vindefo-  
 riensis, *Rich. Simon*, Dieppensis & Presbyter Ora-  
 torii Pariensis, alique quondam se receperunt, &  
 ex horum versione Hebræum codicem corrigend-  
 dum, vel in explicationibus illius, non sine numi-  
 ne & nutu divino factæ, & a scriptoribus N. T. ap-  
 probatæ, minusque corruptæ, autoritate potius  
 standum esse arbitrati sunt. *Vulgatam Pontificio-*

rum palladium & sacram anchoram esse omnes norunt, adeo, ut *Gretserus* in defens. Bellarm. p. 553. scribere non erubescat: *Si quid purum afferatur ex fontibus, id nunquam dissentiet a Latina editione vulgata; si autem dissentiat, hoc ipso purum non est.* Tandem à *Socinianis* versionem Syriacam N. T. summis mactari elogiis, nulla indiget probatione. Nos exosculamur iudicium viri summi iudicii B. *J. C. Schomeri*, in Collegio nov. Controv. p. 24. §. VII. „Discrepantia versionum antiquarum „à codice idiomatis authentici, non est idoneum „argumentum factæ in illo corruptionis, nec iusta „causa fontibus rivulos præferendi, quasi purius „fluentes, tum, quod circa authenticum major „semper fuerit Masoretharum cura & studium, „tum, quod interpretes ipsi à vero sensu vel (α.) „propter pravi codicis usum, vel (β.) ex oscitan- „tia, vel (γ.) ex imperitia, vel (δ.) ex superstiti- „one, vel (ε.) ex malitia etiam, aberrare potue- „rint; quin & quod ipsæ interpretationes corru- „ptæ esse possint.“ Hinc *Matthias Flacius* P. II. clavis S. Scripturæ Tract. VI. ita: „Verissimum „sane est, nullam sacrorum codicum versionem „prorsus vel jam factam esse, vel deinceps fieri „posse, etiam si ab aliquo Angelo tentaretur, in „qua plane nullus sit lapsus.

IV. Audaciores *Critice* præposteræ medelam extollunt, atque menda, quæ in sacris paginis somniant, nullis editionibus aut MSS. sanabilia, ope artis, quæ ultra Deum sapit, tollere satagunt. Ne actum agamus, L. B. remittimus ad *G. Voëtii* Dispp. Th.

Th.P. I. p. 50. m. auctoribusque ibidem citatis addimus *Rich. Simonium*, qui in *Histor. critica Vet. Test. præf. & L. I. C. V. p. 35.* Hebræorum libros scribi solitos putat in parvis voluminibus seu membranis, quæ aliæ super alias circa lignum aliquod convolutæ, nec inter se consutæ fuerint: hincque evenisse, ut non satis accurate Voluminum illorum ordine servato, ipsarum quoque rerum ordo in pluribus locis S. Scripturæ turbatus fuerit. Ad abolendam itaque sacram hanc confusionem, Criticam in subsidium vocat. Dubiam procul dubio palmam Simonio reddere studuit *Marcus Meibomius*, qui non solum ejusmodi transpositiones admittit, sed & gloriatur, unam se Hebræorum sacros libros emendandi certissimam rationem in metro invenisse, quam omnes antiqui interpretes inde à Babylonica captivitate, & recentiores ad nostra usque tempora ignorarint. Vid. ipsius *Specimen Emendationum biblicarum IV. p. 1.* Horum lites & laudes legimus recensitas apud maxime Reverendos Viros, *J. C. Wolfium* *Bibl. Hebr. P. II. p. 12. §. VIII. & p. 31. sq. H. A. Engelckel. c. p. 30. §. 13. & p. 36. §. 15. B. J. H. Majum* *diff. sacr. & sel. hinc inde.* Audacia hæc sane est stupenda, qua admissa, inquit *Olearius Coll. Bibl. MSt.* „à Socinianis non minus atque curiosis aliis tot callidas mox habebimus locorum Biblicorum conjecturas, disjunctiones, suspiciones, verisimilia, variantes lectiones, quot ne Plautus quidem nec Petronius, nec reliqui scriptores profani unquam passi sunt. Nam si uni aut

„aut alteri Philologo aut Theologo, cum expedi-  
 „re se nequit in locis Scripturæ difficilioribus, cri-  
 „ticam illam licentiam in illa exercere licebit, cur  
 „non & tertio & quarto & quinto, & sic in infini-  
 „tum quoad singulos reliquos textus biblicos hoc  
 „integrum erit? Quo modo sane codex S. Ori-  
 „ginalis vel in Chaos variorum conjectaneorum  
 „& concordiam discordem tandem desinet. (n)

V. *Philosophi* nonnulli Philosophica remedia  
 suppeditant. Qui enim *Cartesi* & *Copernici* castra  
 sequun-

(n) De artis criticæ abusu Cl. *Herm. Wittsius* in Oratione de fe-  
 lici, an infelici reipublicæ litterariæ hoc seculo statu, quæ ex-  
 stat Miscell. sacr. Tom. II. p. 947. ita differit: *Audax*  
*hominum genus criticorum natio est, nihil sibi non in*  
*omnes & omnia permissum esse, temeraria presumptione*  
*fingens. Nihil vel profanum, vel sacrum est, quod vio-*  
*lentas ipsorum manus evadat. Postquam superbientis*  
*animi libidinem in secularibus scriptis male multandis*  
*(ipsi corrigere vocant) expleverunt, pari confidentia in*  
*sanctissimorum Oraculorum arcana volumina involant:*  
*quorum orationem addendo, demendo, transponendo*  
*fingunt ac refingunt pro lubitu. Idque sine ulla aliorum*  
*codicum auctoritate, contra antiquissimarum versio-*  
*num fidem, contra vetustissimorum interpretum consen-*  
*sum, sola nixi hariolandi audacia: ea tamen artis suæ*  
*fiducia, ut non minora in Mosen & Davidem, in Pe-*  
*trum & Paulum ausi sint, quam in Polybium & Livi-*  
*um, in Aristophanem & Plantum. - - - Imo in-*  
*tegras odas, integros libros hac pestis adoritur, eosque*  
*critico veru crudeliter transfixos ex divinorum volu-*  
*minum albo dictatoria auctoritate expungit. Has & plu-*  
*res doctissimorum virorum querimonias vide sis apud Cl.*  
*Jo. Jac. Rambachium, Instit. Hermen, lib. III. Cap. I.*  
*§. XLV. in notis,*

sequuntur, non sunt contenti, cum Socinianis & Arminianis dixisse, Scriptores divinos in rebus minoris aut nullius momenti leviter errare potuisse, ac sæpe memoria lapsos inter se dissidere; sed & contendunt, Scripturam quandoque in rebus naturalibus, v. g. de motu Solis & quiete terræ, loqui, ut apparent, non uti sunt, sed secundum opinionem vulgi, fundatam super apparentiis sensuum & præjudiciis, & a veritate recedentem. Pertinet huc decantatum principium: *Ratio dixit, seu Philosophia est scripturae interpres in rebus naturalibus.* Nolumus de Charta in papyrum describere, quæ laudatus *Engelcke* l. c. p. 55. sq. doctissime de hac sententia, ejusque propugnatoribus, commentatus est; neque tamen silentio præterire possumus *M. H. Nicolai*, qui ex nostratibus in Exerc. de revolut. telluris, ejusdem sententiæ fuit, proptereaque à *B. Calovio* T. III. p. 1036. notatus, licet erroribus suis ad finem vitæ ultimum vale dixisse feratur. Quid de hoc negotio statuendum sit, *B. Schomerus* Coll. nov. Contr. p. 25. §. VIII. verbis sequentibus docet: „Scriptura S. et si crebris utitur allegoriis & tropis, etiam Ironiis, juxta *Glassii* Rhetoricam S. Tract. I. Cap. V. hyperbolicis, juxta *Tarnov.* exercit. Bibl. p. 475. & phrasibus ex vulgi opinione ortis, secundum *Dannhauerum* in *Hermeneutica Sacra* p. 408. remque ex apparentia denominantibus, vid. *Calov.* Syst. Theol. Tom. III. p. 1040. semper tamen utitur vocibus & phrasibus, quoad sensum, quem ex recepto usu hominum habent, veris, nec

„nec unquam errores vulgi de quacunque re ap-  
 „probat, aut rebus propositis suo nomine asper-  
 „git. Est enim divinitus inspirata 2. Tim. III. 16.  
 „est verbum veritatis Eccl. XII. 10. purus Dei  
 „sermo Ps. XII. 7. nihil in eo falsum aut perversum  
 „Prov. VIII. 8. nec fieri potest, ut Deus men-  
 „tiatur. Hebr. VI. 18.

VI. *Entusiastæ* ad raptus confugiunt, afflatu-  
 que Spiritus immediato, seu internæ lucis, nos do-  
 ceri tam de sensu Scripturæ, quam de novis My-  
 steriis contendunt. Quid *Val. Weigelius* cum com-  
 binatione sua contradictoriorum, in qua mirifice  
 sibi placet, sibi velit, vel discipulis ejus, eodem  
 Spiritu ductis, vel acrioris judicii viris judican-  
 dum relinquimus. Illa, referente *Job. Hoornbeeck*  
 in Summa Controv. Rel. p. 415. vult à mente no-  
 stra combinari debere, non per explicationes ali-  
 quas & respectus, ut dicas, hoc sensu illud, ea ra-  
 tione istud, sed contraria absolute combinanda  
 esse simpliciter ac promiscue. Christus est  $\alpha$  &  $\omega$ ,  
 ideoque, inquit, in eo principium & principiatum  
 & contraria omnia absolute combinanda. Hinc ad  
 absurditates & blasphemias devenit, ut dixerit &  
 dicere coactus fuerit, Cœlum & infernus, Deus &  
 Diabolus, Christus & bestia Apocalyptica &c.  
 idem sunt. Hæc combinatio neque ex sensu, neque  
 ex ratione à nobis fit, sed mente, (aliquando dicit  
 fide) qua rationi silentium imponitur & sensui; ra-  
 tio enim contradictoria absolute combinari non  
 patitur, sed explicat, distinguit, conciliat &c. &  
 per distinctiones ac respectus absolvit, verum non  
 per

per mentem absoluta & promiscua debet, juxta eum, institui contrariorum combinatio, sive potius bruta confusio: sed non in schola, sive lumine sensuali, neque in schola, sive lumine rationali, at in schola & lumine mentali, sive Fidei, ut loquitur, illud fit. Et p. 418. verba ipsius Weigelii recensendo ipsum alloquitur: *Apage cum isthoc tuo malo Mystero, adeo in eversionem & confusionem omnium veritatum, & Dei, S. Trinitatis, Christi &c. blasphemiam nato!*

## CAPUT V.

*De Remediis genuinis.*

I. **H**ermeneuticam sacram Antilogiarum Æsculapium, regulasque Hermeneuticas Apothecam vocamus unicam, antidota vera & genuina præbentem. *Certa enim regula*, inquit *Dannbauerus* Herm. Sacr. p. 390. §. 5. „ quas Commentatores experti ac periti præscripserunt Lectoribus Bibliorum, tam non sunt negligendæ, quam monita alicujus tabellionis vel naucleri, qui viam sæpe emensus, multa est etiam suo periculo expertus, quæ comites secuturos tutiores reddere possunt, ac in itinere expeditiores.“ Nostri instituti non est, Scriptores hoc loco recensere, qui ejusmodi Canones generales collegerunt, (o) sed de iis tantum acturi sumus, qui regulas, Harmonico studio speciatim inservientes, exhibuere.

## II. Pro:

(o) Vid. illos apud le long Bibl. S. p. 1044. b. al.

II. Prodeant primum Theologi, qui rem paucis expediri posse putaverunt. B. D. *Aug. Pfeifferus*, Lubecensium quondam Præsul gravissimus, Hermen. S. p. m. 73. scribit: *In locis ἐναντιοφαννομένοις intricatioribus, qui bene conjecit, vatem hunc perhibebo optimum.* B. J. C. *Dannbauerus* Hermen. S. p. 243. in conciliatione Ἰῶν ἐναντιοφανῶν monet, advertendam esse utilissimam regulam Rabbinorum, quæ est è tredecim Middoth apud *Schickard.* in *Bechinat* p. 159. postrema: „quando  
 „nimirum bini versus abnegant se mutuo, tunc judicium tamdiu suspendendum, donec veniat  
 „scriptura, & præponderet inter eos. v.g. Prov. 26.  
 „4. Noli respondere stulto secundum stultitiam  
 „suam; & mox v. 5. responde stulto secundum  
 „stultitiam suam, hæc videntur se mutuo evertere.  
 „re. Verum ut scorpium suosmet ictus ipsi sanant,  
 „vel regiones, quæ singularia venena habent, eæ  
 „quoque illorum antidota producunt, ita solutio  
 „ascripta est ibidem lateri ejus: fac illud, quando  
 „sibi sapiens videbitur; abstine vero, ubi te sui  
 „similem reputabit &c.“ (p) Sic *B. W. Franzius*  
 duo

(p) *Apparet hinc, inquit Doctiss. Joh. Henr. Hottingerus, Thesaur. Philol. p. 230. quam fuerint Judæi in conciliandis Scripturis S. religiosi. Nihil certe veritati convenientius, nihil ad vindicandam Scriptura auctoritatem opportunius, nihil denique pro optimi interpretis partibus commodius dici potuisset. Nempe viderunt, non in ipsam statim debacchandam esse Scriptura Majestatem, si vel maxime nos difficiliora quadam ejus exerceanant loca, aut ἐναντιοφανεία se prodant; sed laborandum*

duo præcepta inculcat, in omnium & quarumvis scripturarum interpretatione attendenda: fontes esse consulendos & cohærentiam esse considerandam. Vid. Tract. Theol. de Interpr. SS. p. 19. sq. Clarissimus *Rambachius* Instit. Herm. Lib. III. Cap. III. p. IV. tres regulas Logicas urget: Attendendum scil. (1.) num in utroque loco idem Orationis subjectum; (2.) idem modus & respectus; (3.) eadem temporis ratio? Cautè tamen ac provide in disciplinæ rationalis ad sacras paginas applicatione agendum esse, rectè monet ibid. §. V.

III. Plures regulas, ad Conciliationem sacrarum literarum adaptatas, præbet ex veteribus magni nominis Theologus, D. *Egid. Hunnius*, tract. de Majestate & certitudine Scripturæ sacræ, argumento quarto p. m. 14. f. seq. & cum illo summe Ven. D. *Henr. Mublius*, Dissert. de Apodixi Script. triga I. p. 30. sic scribens: „Ex proprietate linguarum, ex phrasi, ex Analogia fidei, ex universo scripturarum *καταφισμῶ*, ex antecedentium cum consequentibus junctura, ex scopo denique & occasione dictorum, nullo negotio conciliantur ea, quæ dissensionis aliquam speciem prima fronte præferunt.“ B. D. J. *Gerhardus* LL. Th. T. I. Cap. XII. p. 164. sq. de conciliatione *ἐναντιοφανῶν* agens, præter regulam genera-

C

nera-

randum potius, ut per *συμβιβασιν* seu collationem omnia apte in Bibliis coherere, & obscuriora, aut in speciem pugnantia loca ab ipso Spiritu Sancto, alibi clarius loquente, conciliari demonstremus.

neralem etiam speciales sistit, respectu scil. Circumstantiarum Personæ, Consilii s. finis & Occasionis, temporis, loci & modi; tandemque optimam conciliandi rationem esse putat, si possit ex Scriptura quasi arbiter dari, videlicet tertius aliquis Scripturæ locus, qui illos pugnantes concordet, aut conciliationem a nobis allatam discrete comprobet. B. *Baltb. Meisnerus* decem regulas, tanquam statuas mercuriales attendendas, proposuit Philos. sobr. P. II. Sect. II. Quæst. XXII. p. m. 662. sq. Nec B. *Jo. Majorem* prætereundum existimamus, qui in Diss. Th. de dictorum veteris Testamenti in novo allegatione compluscula ejusmodi axiomata congeffit, quæ S. R. *Jo. Christ. Pfaffius* diss. ejusdem argumenti, de allegatis veteris Testamenti in novo, auxit.

IV. Omnes omnino regulas, quotquot huc spectare videbantur, injustum Systema colligere cœpit Vir de Scriptura S. insigniter meritus, B. *Mich. Waltberus* L. I. Cap. III. Harmoniæ totius Scripturæ, quæ postmodum Harmonia Biblica est dicta. Proœmium prioris editionis, anni 1626.8. fontes nobis aperuit, ex quibus beatus Auctor illas hausit, in posterioribus editionibus, nescio quo fato, omissos, suntque *Flacii Illyrici* clavis Scripturæ P. II. tract. I. B. *Chemnitii* Harmonia Evangelica, B. *Gerhardi* Loc. Th. T. I. §. 180. sq. B. *Hafenrefferi* Compendium Loc. de Script. p. 135. sq. B. *Finckii* Centuria Canonum Theol. Tom. V. Disp. Giesens. inserta; B. *Franzii* tract. de Interpret. Script. *Pererii* Comment. in Gen. sup.

sup. Cap. 24. & *Alstedii* præcognita Theol. Cap. 109. Idem felicissimo successu præstitit B. *Jo. Olearius* in Collegio Biblico anecdoto, supra sæpius laudato, sed Methodo plane diversa. *Waltherus* enim istarum regularum tres constituit classes: in prima ventilantur communissimæ, quæ sua latitudine reliquas exhauriunt, & quadantenus sub se complectuntur; in secunda ponderantur communes, quæ suum ad omnes libros Biblicos involvunt respectum & circumstantias delineant; in tertia præscribuntur speciales & propriæ, quæ huic vel illi libro a contradictionum sic visarum luto liberando conveniunt. *Olearius* contra Cap. IV. absolutis remediis generalibus, Regulas Pietatis, Prudentiæ & Peritiæ, easque vel Grammaticas, vel Logicas, vel Rhetoricas, vel Physicas, vel Mathematicas, vel Politicas, vel Historicas, singulis sectionibus exhibuit.

V. Neque putandum est, omnem jam laborem in hoc studiorum genere esse exantlatum. Provocamus ad S. R. *Zeibichii* monita, Harmoniam Evangelicam condituris salutaria, Lipsiæ 1719. 4. publici juris facta; Nosque duas adhuc regulas, unam Philologicam, Philosophicam alteram, in medium proferemus, de quibus Auctores jam jam nominati, nec per somnium cogitarunt. Prima sit: *Arabicam linguam juvare explicationem τῶν ἐναντιοσῆμων*, quæ varias interpreti injicere possunt moras, & ne a doctissimis quidem semper viris satis attenduntur. Habet hanc ipsam aliud quasi agendo *Jo. Henr. Hottingerus*, Smegm. Orient. lib. I.

C 2

Cap. V.

Cap. V. eamque p. 72. m. sq. probatam dedit. Secunda est admodum ingeniosa: *Considerandos esse affectus eorum, ad quos scribitur.* Usus hujus Canonis in conciliandis *ἐναντιοφαιείαις* eximium esse, docet M. Frid. Quir. Gregorius Diff. qua usum Doctrinæ de temperamentis Apostolorum in Theologia, Præside Ven. D. Gottfr. Oleario ostendit, ad diversa effata Pauli & Jacobi de Justificatione per bona opera §. 3. provocando.

## CAPUT VI.

*De necessitate, utilitate & jucunditate studii harmonici.*

I. **V**ergit potissimum Harmonia Biblica in gloriam Dei, *θεοπνευσίας* Scripturarum sacrarum comprobando, sine qua earum dignitas, eminentia & Majestas vana, falsa, atque ficta foret. Nolumus repetere, quæ in fronte hujus tractationis adduximus; sufficiat nobis Theologicum judicium summi Dresdensium Theologi, Val. Ern. Læscheri, Prænot. Theol. p. 156. §. 1. ita scribentis: „Scripturam S. carere contradictionibus, „& veritas, & causa Dei defendere nos jubet, contra eos, qui imputatis illi manifestis contradictionibus à dignitate principii eam deturbare conantur.

II. Neque minus hominum saluti vel sic confutitur. *Multiplex est utilitas,* inquit supra laudatus Rambachius Inst. Herm. S. L. I. C. II. §. XIII. \* \* \* „quam interspersa sacræ Scripturæ obscuritas ex divina

divina interpretatione lectoribus affert. Illa<sup>66</sup> enim (1.) diligentes Scripturæ scrutatores ma<sup>66</sup>gis acuuntur in suo studio. (2.) Ignavis arcana<sup>66</sup> Oeconomix divinæ teguntur. (3.) Arrogan<sup>66</sup>tia ingenii humani intra limites suos coërce<sup>66</sup>tur. (4.) De imbecillitate intellectus nostri in<sup>66</sup> rebus divinis admonemur, & ad spiritum cogni<sup>66</sup>tionis, piis precibus impetrandum excitamur.<sup>66</sup> (5.) Dum locis apertioribus fami occurritur, ob<sup>66</sup>scurioribus fastidia deteguntur, ut eleganter ait<sup>66</sup> Augustinus de doctrina Christiana Lib. II. Cap. VI.<sup>66</sup> Et Ven. *Læfcherus* l. c. pergit: „Hujus studii<sup>66</sup> commendandi, excitandorumque tot somno<sup>66</sup>lentorum ingeniorum causa, tum quoque, ut<sup>66</sup> ex Antithetis doctrinam quamvis eo cautius re<sup>66</sup>ctiusque tractare, limitesque debitos observare<sup>66</sup> discamus, apparentes, quas vocant, contradi<sup>66</sup>ctiones Deus in verbo suo deprehendi voluit,<sup>66</sup> non ejus, sed nostro vitio; unde in hac exege<sup>66</sup>se os parte cura animi nostri, non textus sacri e<sup>66</sup>mendatio usu venire debet.

III. Coronidis loco amoenissimum deprehen<sup>66</sup>det hoc studium, quicumque operi manus ipse ad<sup>66</sup>movebit. *Et si enim non omnibus semper adire Corin<sup>66</sup>thum datum sit, inquit laudatus Theologus, ve<sup>66</sup>ram tamen solvendi rationem divina ope fretus felici<sup>66</sup>ter deprehendes, maxime si cum piis precibus Ἐπευ<sup>66</sup>ῶν ipse exerceas.* (q) Imo experientia edoctus

C 3

non

(q) *Chrysostomus* Homil. 40. in Johannem: *Christus Juda-*

non est quod dubitem, quin aliis etiam hac ratione delectatio afferatur, quibuscunque veritas sacra curæ est cordique. Audiamus *Origenem*, *Philocal. I. Cap. VI. p. 31.* edit. *Spenceri*, egregie sic commentantem: „ Ut Psalterii vel Citharæ fides, quarum unaquæque proprium sonum, & qui alterius sono similis esse non videtur, absolvit, videntur inerudito & Musici concentus minime perito propter dissimilitudinem sonorum discrepantes: sic qui audire nesciunt divinum in sacris Scripturis concentum, non bene convenire novo Testamento cum veteri, aut Legi cum Prophetis, nec Evangelia sibi mutuo consentire, aut Apostolum Evangelio, vel sibi ipsi vel Apostolis putant. Sed si quis accesserit divina Musica eruditus, & re & sermone sapiens, ideoque quidam alius David, qui exponitur aptus & idoneus manu, absolvet sonum Musicæ Dei, cum ab ea didicerit opportune pulsare fides modo Legis, modo, quæ illis concinunt, Evangelicas, interdum Propheticas, aliquando, cum id ratio exposcit, quæ ipsis accinunt, Apostolicas, ita & Apo-

*os ad Scripturaram non simplicem lectionem, sed ad investigationem perquam diligentem revocavit. Non dixit, legite Scripturas, sed scrutamini. Divina enim summa indigent diligentia. In umbra enim majoribus illis non abs re locutus est, idcirco effodere profundius jubet, ut qua alte delitescunt, invenire possimus. Non enim rem in superficie & in promptu positam effodimus, sed qua tanquam thesaurus profunde reconditur. Qui enim hujusmodi querit, nisi summam adhibeat diligentiam & laborem, nunquam quasita inveniet.*

sti visceribus &c. Frater G. humilis servus. Item Concordia testimoniorum de epistolis S. Pauli à B. Gregorio Pont. MSt. Vid. *Eryci Puteani* auspicia Bibl. Lovan. p. 125.

## CAPUT II.

*De Judæis.*

Judæis a plurimis retro seculis concredita esse Oracula Dei, Paulus Rom. III. 1. testatur, quæ quoad vetus Testamentum ab Antilogiarum labe haud infelici successu nonnulli purgavere. *Ebraei enim*, inquit B. D. Aug. Pfeifferus Hermen. S. p. m. 190. f. *ἐναντιοφαινόμενα* & alia dubia textualia ex longo rerum usu nonnunquam satis feliciter expediunt. Huc spectat monitum *Christ. Cartwrighti* in Epist. Dedic. libri annotat. in Exodum ad Jac. Ufferium Armachanum: „ Ut in omne genus Scripto- rum, ita & in Rabbinis delectus est habendus: alia namque Talmudicorum, alia commentario- rum est ratio - - - quin & commentarii, quos vocant *Peruchim*, ab iis, qui *Midraschim* nuncupantur, longe sunt diversi - - - Nam mystici illi commentarii, quos vocant *Midraschim*, ineptiis sæpe inferti sunt; at Expositio- nes, quas appellant *Peruchim*, ab insulsis istius- modi commentis plerumque immunes esse ap- paret. Imo ex Hebræis sunt, qui præter quam quod ex Hebraicarum literarum peritia pluri- ma tradant, quæ vix ac ne vix quidem alibi re- periantur, adeo in sacri textus sensu investigan-